



## PRÆLOQUIUM.

**N**on modò utile sed & omninò necessarium censuimus, priusquam cum Juris Canonici tum Civilis doctrinam justis tractatibus exponamus ejusque penetralia & intima rimemur, hasce hujus utriusque Jurisprudentiae Institutiones præmittere; ut sic Candidati & Tyrones haustà jam istarum binarum Disciplinarum Naturæ, Originis, Principiorum, Differentiarum, Contrarietatum, Locorum argumentorum legalium, Axiomatum, Regularum, Terminorum, Abbreviationum &c. notitiâ faciliùs & jucundiùs ad ipsarum studium procedere valeant.

Has nostras Institutiones decem Capitibus in varios paragraphos & sectiones, quò rerum tractandarum confusionem vitaremus, plerumque, & ubi opus fuit, subdivisis complexi sumus, quorum ordinem subjectus Index exhibet.